



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Refutantur, qui putant, dæmonem morbos non posse immittere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

illis, quæ supra recensuimus, occulta dæmonum arte procurari possint, video à nonnullis dubitari, ab alijs etiam negari.

VIII. Auicenna, Galenus, & post eos Pomponatius ac Lenius Lemnius, etsi dæmones esse malignos non inficiuntur, atque cal-
 Martia. Delr. lib. 3. disquis. p. 1. q. 3. sect. 5. propter, ex maleuolentia utique velle eiusmodi mala homini-
 bus inferre credant, posse tamen negant morbos vltos homini-
 bus iniicere, eò quòd illis opus non sit ad ista mala procreanda, quæ omnia ex naturalibus causis nasci posse arbitrantur. Quod
 etsi illis daretur, tamen non rectè concluderent: Possunt omnes morbi à naturalibus causis prouenire, ergo non possunt prouenire à dæmonibus: quemadmodum si quis diceret: Potuerunt septem Saræ viri ab hominibus occidi, ergo non potuerunt occidi à dæmonio: deceptus est ergo Tobias, quando dixit: *Audio, quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos.* Sed aliter ratiocinatus est Tobias dicens: *Timeo ergo, ne fortè & mihi hac eueniant.* Neque ab Angelo Raphaele refutatus est. Quare aliter docent Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, & eum S. Thoma Theologi omnes: quibus consentiunt Iuristæ, vt Burchardus, & Grillandus; nec non & Medici Condronchus, Cæsalpinus (qui suam sententiam etiam Hippocrati tribuit, quem Auicenna & Galenus ad se trahere conantur) Fernelius, Valesius, itemque Arabius. Pro quibus, si superius à nobis enumerata exempla fidem non merentur, certiora habentur in diuinis litteris; vt illud ipsum de Saræ septem viris, & de Iob vlcere pessimo, per Stygiū calumniatorem percusso; & de Saule atra bile vexato, de quo clarè affirmatur: *exagitabat eum spiritus nequam.* Et in nouo testamento, vnum legitur aurium & linguæ vsu priuasse, ac simul epilepticum reddidisse, qui *lunaticus* vocatur, non quasi dæmoniacus non esset, sed quòd à dæmone ita obsideretur, vt plenilunij tempore, arte dæmonis, comiciali morbo grauissimè affligeretur; quia tunc cerebrum humoribus plenum aptius erat exagitari. Itaque licet aliqui sint lunatici & non dæmoniaci, alij tamen non sine dæmone ad lunæ incrementa vexantur. Alium diabolus illo genere manie affixit, quam lycanthropiam vocant, cuius est, non posse contineri domi, sed in deserta loca excurrere, & circa

VIII.
Martia. Delr.
lib. 3. disquis.
p. 1. q. 3. sect. 5.

Tob. 5. 14.

Tertull. in
Apologet. S.
Hieron. in c.
4. Matth. S.
Chryl hom. 54.
in cap. 17.
Matth. S.

Thom. 1. p. q.
115. a. 5. Bur-
chard. lib. 19.
Decretal. e.
de re magica.

Pet. Leloy. li.
2. de spectr. c.
vlt. Grillan.
q. 6.

Iob. 1. 1. Reg.
16. 14. Marc. 9.
17. Luc. 9. 36.
Matth. 17. 14.

Luc. 8. 27.

circa sepulchra oberrare. De muliere curuata, quam conuul-
sione spinæ dorsi alligauit, supra mentio est facta. Ut adeò, qui
negant, morbos nonnullos à dæmonibus prouenire, inter Eth-
nicos & Atheos sint annumerandi. Iosephus sanè Iudæus Salo-
monem hos dæmoniacos morbos curandi artem à Deo edoctum
his verbis memorat: *Præstitit Deus etiam Salomoni, ut contra
dæmones artem, ad utilitatem hominum, & eorum curas edisceret.*

Ob hanc mælitiam & potentiam nocendi tam varia nomi-
na sortitus est diabolus. Dicitur enim 1. *Angelus percutiens*, &
interficiens Ægyptios, qui Hebraicè *Mashhih*, id est, *Percussor*,
vel *homicida*, vel *corrumpens*, aut *perdens*, Græcè *Olothrentes*, id
est, *perniciem afferens* vocatur. 2. Nominatur *Angelus crudelis*.
3. *Angelus exterminator*. 4. Appellatur πνεῦμα δαδαιμονίας, *spiritus*
infirmittatis, quia dæmones in sacris litteris nomen habent ab esse
ctu, unde dicitur *spiritus infirmittatis*, qui facit infirmos; *spiritus*
auaritia, qui impellit in auaritiã; *fornicationis*, qui incitat ad
fornicandum. 5. Nuncupatur *Rex abyssi*, Hebraicè *Abaddon*,
Græcè autem *Apollyon*, Latine habens nomen *Exterminans*. 6. De-
nique dæmones nomine *mortiferorum* intelliguntur, quibus vita
impiorum dicitur appropinquare. Permittuntur enim à Deo
isti spiritus, ut in vindictam scelerum impijs, aut in meritum co-
ronę pijs morbos immittant. Quod vel Ethnici ipsi agnouerunt,
qui certos quosdam morbos dijs suis, hoc est, diabolis attribue-
runt, ut de *Ceritis*, qui dicti sunt *Cereriisti* δαημονιοληπτες, de lym-
phatis, de Panicis similibusque constat. Hinc Phœbades, hinc
Mænades, hinc furiosa mente Corybantes: hinc fanaticos &
varijs linguis in morbo loquentes *δαημονωγτες*, vel ab Hecate, aut
ab Heroibus infestatos appellabant. Qua de causa etiam Leuinus
Lemnius tandem dat manum, & fatetur, dæmones huiusmodi
morborum causas esse. Quòd si igitur possunt morbos ciere, nec
dubium est, velle, quis neget eos id facere, si permittantur?

Restat, ut indagemus modum, quo id faciunt. Varij sunt
modi, sicut & morbi. Aliquos Francisc. Valesius indicauit. 1. Id
facit dæmon tãquam causa externa, nam extrinsecus adueniens
corpus inhabitat, & malus inquilinus domum turbat, omnia
susque deque vertendo, sine alia materia, vel interna agente
causa,

Luc. 13. 11.

Ioseph. lib. 8
antiq. c. 2.

IX.

Exod. 12. 23.

Prou. 17. 11.

Judith 8. 25.

1. Cor. 10. 10.

Luc. 13. 11.

Apocal. 9. 11.

Iob. 33. 22.

Lucian. in
Philopseu. &
Hippocrates
de sac. morb.
Leuin. Lemn.
lib. 2. de oc-
cul. nat. mi-
rac. cap. 3.

X.

Franc. Vale-
sius c. 28. sacre
Philosoph.